



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. III LITTERAE APOSTOLICAE **UNUM QUI LAETI**B. MARIA VIRGO, SUB TITULO «REGINA CAELI» INVOCATA,

**PATRONA DIOECESIS LEXINGTONENSIS CONSTITUITUR** Ad perpetuam rei memoriam. – Unum qui laeti abhinc annum communitatem ecclesialem legitime constituimus Lexingtonensem eiusque simul sacrum instituimus pastorem, novo benevolentiae Nostrae documento augere, at potissimum novo superni praesidii pignore eam affatim instruere volumus, cum rem memoria proditam usuque Ecclesiae comprobata eodem pro dilecto grege novensili peragere aggredimur. Eiusdem scilicet cleri ac populi fidelis Ordinarius Episcopus, Venerabilis Frater Iacobus Kendrick Williams, litteris nuper Nobis redditis renuntiavit non modo quanta pietate Sanctissimam Iesu Christi Matrem omnis illa Americana natio prosequeretur, verum quanta etiam consensione Lexingtonensis ipsa communitas accepisset propositam ab Antistite suo Virginem Mariam sub titulo «Reginam Caeli» veluti caelestem apud Deum novae dioecesis patronam. Cum plane Nos nimur his animi Catholici affectibus consentimus erga praecelsam Dei Genetricem atque piis pastoris gregisque hac in re optatis, tum nihil magic venturo flori ac progressui illius Ecclesiae profuturum praevidemus quam publicam patronae talis destinationem eiusque perpetuam in posteros annos deprecationem. Efflagitanti igitur memorato Praesuli Lexingtonensi ut electionem illam et approbationem secundum praestitutas normal rite confirmaremus libenter sane obsequentes Nos ex sententia Saerae Congregationis pro Cultu Divino Nostraque suprema auctoritate Apostolica Sanctissimam Dei Matrem, «Reginam Caeli» invocatam, dioecesis Lexingtonensis confirmamus coram Deo Patronam omniaque simul concedimus iura et privilegia liturgica ad regulas Ecclesiae consequentia. Fore praeterea confidimus ut hinc efflorescat Christifidelium inibi amor in Caelestem Reginam, illinc etiam increscat vitae catholicae actionisque christiana prosperitas tam validis nempe sustentata Dei Matris precibus. Contrariis quibuslibet rebus nihil obstantibus. *Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XVI mensis Februarii, anno Domini MCMLXXXIX, Pontificatus Nostri undecimo.* AUGUSTINUS card. CASAROLI a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1989 - Libreria Editrice Vaticana